

vendita fuerit, quòd emptor illa die quo ipsa res vendita fuerit, presentare debeat et dare denarios emptionis illi cuius nomine vendita fuerit, sub pena quinque sold. par. pro qualibet [libra], si querela ad dominium pervenerit.

Cap. LIII. Rubrica de bonis venditis per commissarios ad incantum et quam firmitatem habere debeant. //

Ordinamus quod, si commissarii tutores vel curatores aliquius commissarie vendi facere voluerint ad incantum super scalis palatii comunis aliquam possessionem seu aliqua bona ipsius commissarie tutorie vel curatorie, quod possessio una vel plures antequam incantentur perticari debeant per ipsos vel per aliam personam eorum nomine cum perticha comunis, exceptis domibus; et ipsas possessiones et confines et quot pertice fuerint singulariter facere scribi, et tempore incantationis predictae facere nominari et publicari possessionem confines et perticas predictas, sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet commissario tutore et curatore et vice qualibet contrafacta. ¶ Et si qua bona vendita fuerint ad incantum predictum per eos vel aliquem ipsorum, quod ¹⁾ emptor ¹⁾ semper habeat et teneat dicta bona libere et quiete secundum tenorem sui instrumenti et emptionis predictae, et talis emptor dare debeat et teneatur ac presentare eisdem commissariis tutoribus et curatoribus infra octo dies denarios emptionis ipsorum bonorum, sub pena quinque sold. par. pro qualibet libra in comuni componenda, si querela ad dominium per eosdem commissarios tutores vel curatores pervenerit; et nichilominus talis emptor constringatur per dominium ad standum in palacio comunis, de quo exire non possit nisi primo solverit capitale et penam, et sic componat quinque sold. par. // pro qualibet libra in quolibet mense nomine pene; et soluto precio emptionis predictae, tunc ipsi commissarii tutores vel curatores tenere et habere debeant denarios ipsius

¹⁾ Aggiunta marginale.